

06 12



INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER HIEMEM

ANNI MDCCCXLVI—XLVII A DIE XV. OCTOBRIS

INSTITUENDARUM.

PRAEMISSA EST DISQUISITIO: „UTRUM IN ECCLESIA PRIMITIVA EPISCOPI AC PRESBYTERI PARI INTER SE. POTESTATE SPIRITUALI FUERINT PRAEDITI NEC NE.“

Brunsbürgae,
Impressit C. A. Heyne.

1846



INDEX LECTIUM

IN

ANNO DOMINI MDCCLXXII

PER MENSEM

SEPTEMBRIS

INSTITUTIONE

KSIĄŻNICA MIEJSKA
IM. KOPERNIKA
W TORUNIU

~~Główna Biblioteka
Toruń~~

AB 1472

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBURGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

Haud quidem facile quidpiam, Commilitones carissimi, neque doctrinae neque disciplinae ecclesiasticae valebitis invenire, haeresi nondum impugnatum. Tantum tamen aberit, ut ejusmodi dimicationes ecclesiae periculosas ideoque deplorandas arbitremini, ut pio gratoque animo providentiam admiremini divinam, singula certamina, sicuti nunquam non docuit experientia, saluti fidelium prospere vertentem. Ita enim placet cuncta Regenti, ut certando ad victoriam et patiendo ad gloriam perveniat ecclesia militans. Nihil igitur mirum, si et hierarchiam ecclesiasticam ab haereticis tactam atque in controversiam vocatam videntur. Aërius quidam Arianus, contra quem S. Epiphanius non minus acute, quam callide disputavit, ¹⁾ omnium primus sub medium saeculi quarti sententiam ad id tempus inauditam ²⁾ proposuit, omne inter episcopum et presbyterum auferens discrimen, atque unum esse utriusque ordinem, parem et eundem honorem ac dignitatem quam firmissime asseverans. Verum enimvero vir iste minime re bene perpensa, sed potius invidia atque obtreptione agitatus opinionem modo commemoratam tradidisse videtur ac defendisse. Id quidem conjicere nobis licet e S. Epiphanii relatione, ³⁾ superbum ipsum fuisse monachum narrantis ac tum demum procreasse haeresin, quum spe episcopatus magnopere, etsi frustra, appetiti dejectum se viderit. Attamen Aërianorum secta paullatim evanuerat, et perpetuae fuisset oblivioni tradita, ni Reformatores, qui vocantur, saeculi XVI praeter alias, obsoletas jam et pervetustas haereses istud etiam erratum in lucem protulissent. Episcopos

¹⁾ Haer. LXXV. c. 5. — ²⁾ „Dogma furiosum et immane“, Epiphan. haer. LXXV. c. 3. — ³⁾ Haer. LXXV. c. 1. —

enim auctoritate atque dignitate plurimum apud populum christianum pol-
lentes ipsorumque conatibus hac re admodum obstantes odio prosequen-
tur infestissimo, ideoque ad auctoritatem illam episcopalem penitus destru-
endam Aërii dogma alacri quadam aviditate amplectebantur et defende-
bant.⁴⁾ Ex quo tempore scriptores acatholici discretam fuisse in ecclesia
primitiva episcopi a presbyteri dignitate ad hunc usque diem constantissime
negant, argumentis tamen suffulti ineptis ac levissimis. Locos quosdam e
sacro Codice desumptos,⁵⁾ explicationem adhibentes arbitrariam ac sensui
genuino prorsus alienam, ita volunt intelligi, ut opinioni ab ipsis praeju-
dicatae consentire videantur et illico pro argumentis stare cogantur. Si-
mili quoque modo ad Patres provocant, et omissis contraria apertissime
dicentibus ea sola afferunt effata, quae obscura per se omnique insuper
contextu exclusa, quidquid velint, testantur. Ita Clementem Romanum,⁶⁾
Cyprianum⁷⁾ et Hieronymum⁸⁾ omnino a se discrepantia eloquentes ac
testantes faciunt.⁹⁾ Ad proferenda atque refutanda virorum infra lauda-
torum argumenta quominus aggrediamur, loci angustiis plane impediti id
tantummodo, Commilitones humanissimi, hic paucis commemorare atque
declarare nobis proposuimus, quod doceant de materia nostra et sacra
scriptura et traditio ecclesiastica.

Illud tamen — ut ante hoc moneamus — prae omnibus credendum
nobis est, Christum Dominum, quum institueret ecclesiam atque ordinaret,
inter docentes et discentes, inter imperantes et dicto audientes, inter prae-
bentes et accipientes, uno verbo inter Clerum et populum naturale quod-
dam sanxisse discrimen. Multi nimirum Scripturae loci omnem de hac
re tollunt dubitationem.¹⁰⁾ Quapropter id unum quaeritur, num certos et
quos gradus in Clero instituerit? Id quod haud difficile est dictu. Duo

⁴⁾ Novam hanc doctrinam respicit Conc. Trid. Sess. XXIII. can. 7. — ⁵⁾ E. gr. Act. XX, 17. 28. Tit. I, 5. 7. I. Petr. V, 1—2. Philipp. I, 1. I. Timoth. III, 1—13. IV, 14. Act. XIII, 1—3. — ⁶⁾ Ep. I. ad Corinth. c. 42. 44. — ⁷⁾ Ep. 6 et 85. —

⁸⁾ Ad Tit. I, 7. Ep. 101 et 85 ad Evagr. Monitum simul velimus, ne provocetur ad ep. 85 ad Evagr. sive Evangel., quum sit spuria. Cf. Binterim. Denkw. Vol. II. P. I. p. 57—92. — ⁹⁾ Conf. Neander. allg. Gesch. d. christl. Relig. u. Kirche. Vol. I. p. 182 sqq. — Münter, üb. d. urspr. Identität d. Bischöfe u. Presbyter, in Ullmann. et Umbreit. theol. Stud. u. Kritik. 1833. Fascicl. III. pag. 769—771. —

¹⁰⁾ E. gr. Matth. XXVIII, 19—20. Luc. X, 16. Matth. XVIII, 18. I. Corinth. IV, 1.

enim nobis occurrunt discipulorum genera, quos, ut referunt Evangelia, eam ob causam Dominus adhuc vivus ad praedicandum emisit, ut ostenderet mundo, hos ad salutem hominibus in posterum distribuendam esse destinatos: duodecim nimirum apostoli ¹¹⁾ et septuaginta discipuli. ¹²⁾ Illos his superiores fuisse honoris atque dignitatis gradu, partim e minori numero possumus colligere, partim e consuetudine et familiaritate, qua utebantur. Simili modo a se invicem distincti et post Christi in coelum ascensionem utriusque inveniuntur, illi sub apostolorum, hi presbyterorum nomine. Duo igitur sacerdotii gradus in ecclesia primitiva reperiuntur, ab ipso Domino instituti, apostolatus et presbyteratus.

Non ita multos post annos apostoli necessitate quadam, ut satis notum, coacti novum diaconatus ordinem adjecerunt, potestate a Salvatore ipsis commissa libere utentes. ¹³⁾ Ex quo tempore hierarchia ecclesiastica apostolos, presbyteros et diaconos complectebatur, honore ac potestate spiritali omnino diversos. ¹⁴⁾ Quamdiu autem hierarchia ita ordinata permansura fuerit, nemo nescit, qui ecclesiam ipsam ad finem usque saeculorum duraturam pro certo habet. Quamdiu ecclesia, tamdiu et hierarchia ecclesiastica; facta enim a Dei filio aut sub ejus auspicio interire nequit. ¹⁵⁾ Atvero quo pacto quaque via mortuis apostolis, presbyteris et diaconis propaganda foret hierarchia illa? Scitis, Commilitones ornatissimi, id semper et ubique factum esse per sacramentalem manuum apostolicarum impositionem. Hac ratione apostoli ac deinceps episcopi, potestate necessaria ab ipso Domino satis instructi, sedulo providebant, ne deficerent unquam munere defunctorum fungi valentes. Ubivis autem promotionem ab inferiori ad superiorem gradum videmus. Sic Matthias — ut exemplo, quae modo diximus, confirmetur — e numero septuaginta presbyterorum ¹⁶⁾ in apostolatum ascendit. ¹⁷⁾ Nulla quidem illic ordinationis apostolicae mentio fit, attamen eam omnino non fuisse nequaquam inde sequitur. S. Lucas enim, ut evidenter liquet ex tota loquendi serie, illud solum memoriae tradere voluit, Petro auctore Deoque per sortem mandante ad explendam

¹¹⁾ Matth. X. — ¹²⁾ Luc. X. — ¹³⁾ Act. VI, 1—6. — ¹⁴⁾ Act. XV, 2. 4. 6. 22. 23. 41 XVI, 4. XXI, 18. I. Timoth. III, 8. 12. — ¹⁵⁾ Matth. XXIV, 35. —

¹⁶⁾ Euseb. H. E. I, 12, II, 1. — ¹⁷⁾ Act. I, 15—26. —

numeri apostolici lacunam proditoris modo exturbati munus Matthiam suscepisse. Nihil igitur causae fuit, quin silentio praetermitteret manuum impositionem.

Crescente autem in dies ecclesia quum ampliarentur negotia spiritualia, socios sibi atque collegas apostoli ex Domini praescripto ordinabant, eadem, qua ipsi, postea dignitate ac potestate praeditos, id simul spectantes, ut decedentes e vita relinquerent successionem legitimam omnemque de episcopatu altercationem amoverent.¹⁸⁾ Qui itidem viri apostolici habebantur, quamvis non ab ipso Salvatore, sed per Apostolos vocati. Taliū virorum complures memorantur in Scriptura sacra: e. gr. Saulus et Barnabas, a presbyteratu ad apostolatū promoti;¹⁹⁾ Simon, Niger, Lucius et Menahen,²⁰⁾ si testantibus sacra Scriptura²¹⁾ praxique ecclesiastica consideremus, solos apostolos aut viros apostolicos potestate ordinandi fuisse instructos; Timotheus et Titus, a Paulo Apostolo ordinati;²²⁾ Andronicus atque Junias²³⁾ et Epaphroditus.²⁴⁾ Idem quoque apostoli appellabantur.²⁵⁾ Praeter quos locum re vera inferiorem ubique presbyteri obtinebant, Hierosolymis,²⁶⁾ Ephesi,²⁷⁾ in insula Cretensi,²⁸⁾ in quacunque ecclesia christiana.²⁹⁾ Ordinatione jam differebant ab apostolis, quum et ab uno sive apostolo sive viro apostolico ordinari possent,³⁰⁾ neque ipsi alios ordinandi potestatem haberent.³¹⁾ Attamen ut omnis avertatur

¹⁸⁾ Clement. Roman. ep. I. ad Corinth. C. 44. — ¹⁹⁾ Conf. Act. XX, 22 sqq. cum Act. XIII, 1—3. — ²⁰⁾ Act. XIII, 1—3. — ²¹⁾ Act. VI, 6. I. Timoth. V, 22. Tit. I, 5. — ²²⁾ II. Timoth. I, 6. Tit. I, 5—9. — ²³⁾ Roman. XVI, 7; conf. Chrysost. et Theodoret. ad h. l. — ²⁴⁾ Philipp. II, 25. — ²⁵⁾ Act. XIV, 13. Roman. XVI, 7. Philipp. II, 25. etc. — ²⁶⁾ Act. XV, 2. 4. 6. 22. 23. 41. XVI, 4. XXI, 18. — ²⁷⁾ I. Timoth. V, 19—20. — ²⁸⁾ Tit. I, 5. — ²⁹⁾ Act. XIV, 23. — ³⁰⁾ Conf. I. Timoth. V, 22. Tit. I, 5. et ecclesiae disciplinam in can. apost. 2. ex vers. Dyonis. Exig. — ³¹⁾ Haut quidem ignoramus a nonnullis hominum doctorum ipsos episcopos ordinandi facultatem iis attribui, verba Apostoli in ep. I. ad Timoth. IV, 14 pro testimonio afferentibus; at immerito. Videant, ne levius interpretentur verba apostolica; duo enim Scripturae loci Timothei ordinationem attingunt, I. Timoth. IV, 14 et II. Timoth. I, 6. iique accuratissime secum conferendi, ut, a quonam ordinatus sit, recte perspiciamus. Si ea, qua par est, diligentia ad verba: „per impositionem manuum mearum“ (II. Timoth. I, 6) et: „cum impositione manuum presbyterii“ (I. Timoth. IV, 14), attendamus, haud difficile erit intellectu, ipsam consecrationem a solo apostolo Paulo esse peractam, presbyteros autem non nisi pro testibus adfuisse, ut essent,

interpretatio aliena atque perversa, monitum hoc loco volumus, apostolica aetate episcoporum quoque nomine appellatos esse presbyteros. Id satis liquet ex pluribus sacrae Scripturae locis, quos laudare atque paucis explicare nobis liceat. Act. XX, 28. e. gr. ii vocantur episcopi, qui paulo ante (vers. 17) presbyteri.³²⁾ Idem ex praescriptione epistolae Paulinae ad Philippenses³³⁾ possumus colligere, ubi clerum Philippensem ex episcopis et diaconis constantem videmus. Episcopi hoc loco nihil nisi presbyteri esse possunt; Philippensium enim pontifex episcopali ornatus dignitate Epaphroditus erat, a S. Paulo apostolus vocatus³⁴⁾ ejusque epistolam secum ferens.³⁵⁾ Presbyteros episcoporum nomine vocatos etiam in ep. ad Tit. I, 5 et 7 legimus. Priori etenim loco apostolus Titum per civitates presbyteros constituere jubet, utque indicavit, quales esse oporteat ordinan-

qui impugnantibus in posterum quibusdam sic ordinati legitimam potestatem testimonio rei gestae allato controversiae finem imponerent (conf. Clement. Roman. ep. I. ad Corinth. c. 44). Neque dubitamus, quin idem consequi voluerint constitutiones ecclesiasticae praecipientes, ut unicuique consecrationi episcopali tres interessent episcopi (Can. Apost. 1. — Const. Apost. III, 20). Quorum duos nonnisi testium instar adfuisse, partim ex Evagrii episcopi historia liquet, quem Romani Pontifices atque episcopi occidentales, etsi ab uno tantummodo episcopo duobusque, ut Theodoretus indicare videtur, presbyteris ordinatus fuerat, valide consecrationem agnoscebant (Theodoret. H. E. V, 23), partim ex veterrima jam ecclesiae observantia uni episcopo ordinanti, ut satisfiat formae praescriptae, cogente necessitate, duos associandi presbyteros. Clariora atque evidentiora fient, quae modo diximus, si rem, de qua disputamus, comparemus cum forma contrahendi matrimonium a Concilio Tridentino (Sess. XXIV. c. 1. de ref. matrim.) praescripta. Ut hic duo minimum testes praeter parochum requiruntur ad validum atque ratum matrimonium, sic ordinationi quoque episcopali duo secundum legem ecclesiasticam vel episcopi vel presbyteri praeter ordinantem testium instar adhibendi sunt, ita tamen, ut, qui certum firmumque tribuant testimonium, ordinatorem quodammodo adjuvent. — ³²⁾ Ne dicas, episcopos etiam secundum nostrum loquendi usum in iis fuisse, episcopos videlicet ecclesiarum urbi Ephesinae finitimarum. Act. XX, 17—18 verbis expressis narratur, Ephesinae solius ecclesiae presbyteros ad apostolum esse vocatos. Conf. etiam Theodoret. ad Philipp. I, 1. Opp. ed. Schulze. Tom. III. p. 445. — ³³⁾ Philipp. I, 1. — ³⁴⁾ Philipp. II, 25. — ³⁵⁾ Eandem sententiam Theodoretus quoque profert in interpr. ep. ad Philipp. I, 1. Opp. ed. I. Tom. III. p. 445, ubi legimus: „Επισκόπους δὲ τοὺς πρεσβυτέρους καλεῖ ἀμφοτέρω γὰρ εἶχον καὶ ἐκεῖνον τὸν καιρὸν τὰ ὀνόματα . . . Τοῖς ἐπισκόποις τοὺς διακόνους συνέξειζε, τῶν πρεσβυτέρων οὐ ποιησάμενος μνήμην ἄλλως τε οὐδὲ οἶον τε ἦν πολλοὺς ἐπισκόπους μίαν πόλιν ποιμαίνειν ὡς εἶναι ὄηλον ὅτι τοὺς μὲν πρεσβυτέρους ἐπισκόπους ὀνόμασεν.“ Consentit etiam Syrus, qui h. l. vocem ἐπίσκοποι per seniores sive presbyteros vertit. —

dos (vers. 6), subjungit (vers. 7): „oportet enim episcopum sine crimine esse etc.“ quam apertissime significans, eundem esse episcopum ac presbyterum.³⁶⁾ Haud denique omittenda sunt, quae S. Paulus in ep. I. ad Timoth. III, 1—12 scribit. Diligenter illic instruit Timotheum, quomodo muneri praeesse debeat apostolico,³⁷⁾ praesertim quidquid observandum ipsi sit in instituendis ecclesiae ministris. Neminem ecclesiae praeficiendum esse docet, nisi doctrina et virtute conspicuum. De singulis agens ordinibus primum indicat, quales ad episcopatum promovendi (vers. 2—7), deinde (vers. 8—12) quales esse debeant futuri diaconi. Quodsi nobiscum reputemus, Timotheum tanquam Pauli vicarium³⁸⁾ apostolica i. e. episcopali dignitate praeditum ideoque praeter ipsum nullos nisi presbyteros et diaconos praeficiendos fuisse ecclesiae Ephesinae, iterum verbo episcopi (vers. 2) inesse notionem presbyteri confiteri cogimur.³⁹⁾

Ex iis igitur, quae hucusque disputata sunt, satis apparet, hierarchiam ecclesiasticam aevi apostolici ita per gradus fuisse distributam, ut primum locum obtinerent apostoli, secundum presbyteri sive episcopi et tertium diaconi.

Namne vero defunctis apostolis immutatam deprehendimus? Minime gentium. Hierarchiam modo descriptam a divina profectam institutione vidimus, ideoque immutabilem. Tres igitur gradus illi permanebant, quorum tamen nomina, quum res sint haud ita magni momenti, prout aptius videbatur, paululum commutata sunt: Viri etenim apostolica aucti dignitate et apostolis adhuc vivis eodem, ut supra vidimus, nomine ornati postea ob eximiam erga Christi legatos reverentiam ac pietatem apostolorum nominibus renuntiabant, episcopos se vocantes, sacerdotibus autem secundi ordinis presbyteris tantummodo dehinc appellatis. In unaquaque ergo ecclesia christiana eaque bene constituta episcopum invenimus et presbyteros atque diaconos.⁴⁰⁾ Episcopum vero et dignitate et potestate presbyteris superiorem

³⁶⁾ Conf. Theodoret. ad h. l. Opp. ed. I. Tom. III. p. 700. — ³⁷⁾ Conf. I. Timoth. III, 15. — ³⁸⁾ Conf. I. Timoth. I, 3. — ³⁹⁾ Sic Theodoretus quoque locum nostrum interpretatur (interpr. ep. I. ad Timoth. III, 1. Opp. Tom. III. p. 652), et fortasse S. Polycarpus, qui in ep. ad Philipp. c. 5—6 diaconi et presbyteri officia tali modo enumerat, ut Apostoli sententiam in ep. I. ad Timoth. III, 2—12 prolatam suis verbis reddidisse videatur. — ⁴⁰⁾ Conf. Clement. Roman. ep. I. ad Corinth. c. 40. Ignat. Martyr. ep. ad Ephes. c. 2. 4. 5. 6. 20. ad Magnes. c. 2. 3. 4. 6. 7. 13. ad Trallian. c. 2. 3. 7. 12. 13. ad Philad. c. 4. 7. 10. ad Smyrn. c. 8. 9. 12. ad Polyc. c. 6.

fuisse Patres infra laudati quam evidentissime pronuntiant. In Clementis Romani ep. I. ad Corinth. c. 40 haec legimus: „Summo quippe sacerdoti sua munera tributa sunt; et sacerdotibus locus proprius assignatus est; et Levitis sua ministeria incumbunt; homo laicus praeceptis laicis constringitur.“⁴¹⁾ Nulli obnoxium est dubitationi, quin utriusque Foederis hierarchiae hoc loco inter se comparentur, quapropter diaconis Levitarum nomen inditum. Ut autem summus veteris Testamenti sacerdos (ἀρχιερεὺς) a meris sacerdotibus (ιερεῖσι) dignitate atque potestate multum differebat iisque superior erat — id negare nullo pacto potes —: sic utique summus novi Testamenti sacerdos; alioquin claudicaret tota comparatio. Inde sequitur, episcopum, qui est novi Foederis ἀρχιερεὺς, sub finem saeculi primi a presbyteris prorsus distinctum iisque superiorem fuisse. — Idem ex verbis S. Ignatii possumus colligere.⁴²⁾ Magnesianos enim adhortatur, ut concorditer omnia peragere studeant, „episcopo praesidente Dei loco et presbyteris loco Senatus apostolici, et diaconis.“⁴³⁾ Quis est, qui non videat episcopum presbyteris potiolem? Nonne Dei locus loco Senatus apostolici superior? A Trallianis postulat, ut obediant episcopo sicut Jesu Christo, presbyteris vero sicut Apostolis Jesu Christi.⁴⁴⁾ Hisce quoque ampliorem episcopi prae presbyteris dignitatem enuntiatam esse quis infitiabitur? Quum sit manifestum, Christo plus deberi obedientiae quam apostolis, inde sequitur, episcopo quoque plus quam presbyteris; episcopalem ergo locum superiorem esse atque illustriorem. Idem ex ep. ad Trallian. c. 3. et ad Smyrn. c. 8. colligere possumus, ubi S. Martyr episcopum venerari jubet ut Patrem, presbyteros vero ut apostolos. — Jurisdictioni quin etiam episcopali subjecti erant presbyteri, neque sua ad arbitrium sibi sumta potestate munera obibant, sed e sola episcopi auctoritate. Id evidentius docet idem S. Ignatius Smyrnaeis scribens: non licere sine episcopo neque baptizare, neque agapen celebrare; sed quodcumque ille

⁴¹⁾ „Τῶ γὰρ ἀρχιερεῖ ἰδία λειτουργία δεδομένη ἐστίν, καὶ τοῖς ἱεροῦσιν ἴδιος ὁ τόπος προστέτακται, καὶ λευταῖς ἰδία διακονία ἐπίκεινται· ὁ λαϊκὸς ἀνθρώπος τοῖς λαϊκοῖς προστάγμασι δέδεται.“ — ⁴²⁾ Ep. ad Magnes. c. 6; ad Trallian. c. 2; ad Smyrn. c. 8. — ⁴³⁾ Ep. ad Magnes. c. 6: „Προκαθήμενον τοῦ ἐπισκόπου εἰς τόπον Θεοῦ, καὶ τῶν πρεσβυτέρων εἰς τόπον συνεδρίου τῶν ἀποστόλων, καὶ τῶν διακόνων.“ — ⁴⁴⁾ Ep. ad Trallian. c. 2. —

probaverit, hoc et Deo esse beneplacitum, ut tutum ratumque sit, quodcumque agatur. ⁴⁵⁾ Et paulo inferius: „Qui clam episcopo aliquid agit, diabolo praestat obsequium.“ ⁴⁶⁾

Haud minus perspicue, imo evidentius loquitur de materia nostra Clemens Alexandrinus sub finem scribens saeculi secundi. Ubi de nonnullis disseruit populi christiani officiis, multisque sacrae Scripturae locis ea probavit, hoc modo pergit: „Plurima autem alia praecepta, quae ad electas personas pertinent, in sanctis libris scripta sunt: haec quidem presbyteris, alia vero episcopis, alia diaconis.“ ⁴⁷⁾ His verbis, ut quisque videt, Clemens tres hierarchiae ecclesiasticae fuisse gradus eisdemque diversos cum singulis officiis pronuntiat, et quidem — id quod minime negligendum — de aevo apostolico loquitur, in sacris libris esse scripta dicens illa episcoporum et presbyterorum praecepta diversa, ex quo vivis jam apostolis existisse varietatem istam in officiis episcoporum atque presbyterorum colligere possumus. Clarius rem alio loco proferre videtur. Strom. VI, 13 enim, qui in coercendis cupiditatibus omnique virtute exercenda summo nitatur studio, eum dicit posse sperare, ut in dignitate quoque ecclesiastica progrediatur, quemadmodum etiam Matthias hanc ob rem in apostolorum numerum sit assumptus atque hodieum sint in ecclesia progressionem (*προκόπαι*) episcoporum, presbyterorum et diaconorum, ita ut viventes in perfectione justitiae primum diaconi fiant, deinde cooptentur in presbyteratum profectu gloriae, donec crescant in virum perfectum (*εἰς τέλειον ἄνδρα*, sc. episcopum). Num quid accuratius atque evidentius dici potest, quam diversitas hoc loco episcopi et presbyteri? Hic enim non solum episcopi, presbyteri et diaconi tanquam a se invicem distincti memorantur, sed etiam luculente indicatur, progressionem sive promotionem fuisse a presbytero ad episcopum, non minus quam a diacono ad presbyterum. Tres igitur in clero istis diebus gradus distinctos fuisse elucet, primum sive infimum diaconorum, medium presbyterorum, supremum sive perfectissimum episcoporum.

Sed de his satis jam actum esse videtur. Testimonia enim saeculi tertii supra laudatis plane consona hic proferre minime necessarium videtur, quum vi eorum, ut ita dicamus, victi tum temporis episcopum presbytero superiorem fuisse adversarii quoque concedant.

⁴⁵⁾ Ep. ad Smyrn. c. 8: „Ὅτι ἐξόν ἐστι χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου, οὔτε βαπτίζειν, οὔτε ἀγάπην ποιεῖν· ἀλλ' ὃ ἂν ἐκείνος δοκιμάσῃ, τοῦτο καὶ τῷ θεῷ εὐάρεστον· ἵνα ἀσφαλὲς ἢ καὶ βέβαιον πᾶν ὃ πράσσεται.“ — ⁴⁶⁾ „Ὁ λάθρα ἐπισκόπου τὴν πράσσειον τῷ διαβόλῳ λατρεύει.“ Ep. ad Smyrn. c. 9. — ⁴⁷⁾ Paedag. III, 12: „Μυρία δὲ ὅσαι ὑποθήκαι, εἰς πρόσωπα ἐκλεκτὰ διατεινοῦσαι, ἐγγεγραμμαι ταῖς βίβλοις ταῖς ἁγίαις· αἱ μὲν πρεσβυτέρους, αἱ δὲ ἐπισκόπους, αἱ δὲ διακόνους.“ —

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGICI.

ANTON. EICHHORN, DR. P. P. O. H. T. DECANUS.

- I. Historiam ecclesiasticam primi aevi narrabit diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris h. IX—X.
- II. Antiquitates ecclesiasticas docere perget diebus Lunae et Martis h. III—IV.
- III. Patrologiam sive historiam litteraturae christianae tradet diebus Jovis h. III—IV et Saturni h. IX—X.

PETR. THEOD. SCHWANN, DR. P. P. O. H. T. RECTOR.

- I. Introductionem in universam theologiam tradet dd. Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. VI—VII.
- II. Theologiam dogmaticam tradere perget iisdem diebus hora X—XI.
- III. Exercitationes repetitorias et examinatorias instituet dd. Mercurii et Saturni h. X—XI.

MICH. JOS. KRÜGER, LIC.

- I. Introductionem generalem in libros sacros, nec non artis criticae et hermeneuticae biblicae principia docebit dd. Lunae, Mercurii et Veneris h. X—XI.
- II. Sophoniae, Aggaei, Zachariae et Malachiae prophetarum vaticinia interpretabitur dd. Martis, Jovis et Saturni h. VIII—IX.
- III. Epistolam Paulinam ad Romanos datam dd. Mercurii et Veneris h. III—IV explicabit.

JOAN. GEORG. SMOLKA, LIC.

- I. Ethices christianae catholicae partem alteram tractare perget dd. Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. XI—XII.
- II. Evangelium S. Marci explicabit dd. Lunae, Mercurii et Veneris h. VIII—IX.

B. ORDINIS PHILOSOPHICI.

LAUR. FELDT, DR. P. P. O. H. T. DECANUS.

- I. Exercitationes geometricas moderabitur, praemissa introductione de studiis mathematicis recte ordinandis, dd. Lunae et Jovis h. II—III.

- II. Trigonometriam geographicam i. e. trigonometriam planam, sphaericam et sphaeroidicam ex libro: Sniadecki's sphaerische Trigonometrie &c. übersetzt von L. Feldt, d. d. Lunae et Jovis h. XI—XII.
- III. Physicen experimentalem docebit experimentisque illustrabit dd. Martis et Veneris h. II—III et d. Mercurii h. XI—XII.
- IV. Astronomiae elementa ita explicabit, ut ab iis etiam, qui mathesi sublimiori discendae non dederunt operam, intelligi possint, dd. Martis et Veneris h. XI—XII.

CAR. BIESTER, P. P. O. DES.

- I. Ciceronis de natura Deorum libros ter per hebdomadem
- II. Plauti Trinumnum bis per hebdomadem
- III. Aristophanis nubes ter per hebdomadem interpretabitur.

MAX. TRÜTSCHEL, DR. P. P. E.

- I. Metaphysicae partem alteram docebit quater per hebdomadem dd. Lunae, Martis, Mercurii et Jovis hora matutina VIII—IX.
- II. Logicam docebit quater per hebdomadem iisdem diebus hora vespertina V—VI.
- III. Interpretandos offert Aristotelis libros de anima bis per hebdomadem.
- IV. Exercitationes repetitorias et examinatorias proponet instituendas die Saturni hora matutina VIII—IX.

STIPENDIUM SCHEILLIO-BUSSIANUM.

Quaestio a Lyceo Regio Hosiano ad certamen litterarium anni MDCCCXLVI—XLVII proposita:

„Historia contentionum propter Originem ejusque principia exortarum succincte quidem, attamen lucide atque ex optimis fontibus eruta narretur, sermone latino.“

Praemium constitutum est XXI Imperialium. Tempus exhibendarum descriptionum terminatum est d. 1. Jul. MDCCCXLVII.